UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe, Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

18 An confiscatio obliget delinquentem? cui bona sunt ipso iure confiscata, ea fisoe tradere ante sententiam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-76540

Visual Library

Ratio dubitandi an manumittere poſſit delinquens, fuit, quia dominus eſt ante damnationem. Ratio verò decidendi: & deciſio ipſa negans poſſe manumittere ante condemnationem non fuit, quia caret dominio; alias inanis eſſet ratio dubitandi, an manumittere poſſit, cùm certum ſit carenti dominio id nullo modo permitti, ſed fuit fraus facta fiſco, quæ omnino à delinquente præuideri debuit; cùm enim poſt crimen læſæ maieſtatis contractum perfectæ donationes eſſe non poſſint, cùm hæredes quoque teneat tale crimen *l. donationes. 31. §. vlt. ff. de donationib. & committens hoc crimen proſpicere debet*, quod ſic damnari poteſt, *l. 8. ff. de manumiſſionib.* infertur in fraudem fiſci factam fuiſſe alienationem; ac proinde ius plenum, & perfectum dandæ libertatis amiſiſſe à die commiſſi criminis, non dominium.

Secundò probatur hæc ſententia, quia delinquens commiſſo delicto, & ante ſententiam non tenetur ſe bonis priuare, & fiſco offerre, vt eſt communis ſententia, quam probabimus puncto ſequenti. Ergo ſignum eſt retinere dominium. Si enim dominium eſſet fiſco tranſlatum abſque eius voluntate, retineri à delinquente bona non poſſent: nullibi autem conſtat de tali voluntate fiſci. Ergo dicendum eſt retentionem prouenire ex eo quòd dominio delinquens priuatus non fuerit. Neque valet dicere priuatum fuiſſe delinquentem dominio, & non poſſeſſione, cum verba generalia ſint.

Tertiò, quia ex vi criminis læſæ maieſtatis ſolùm habetur bona confiſcata eſſe à die commiſſi delicti, ſed inde non infertur delinquentem amittere dominium, ſolùm infertur ab illo die illa bona fiſco eſſe obligata, & quaſi hypothecata, quod ſtare optimè poteſt cum dominio, ſicut hypotheca poſſeſſa à debitore eſt penes illius dominium; eſto obligata ſit creditori. Ergo dicendum eſt confiſcationem dominio non priuare delinquentem, quia pœnæ reſtringendæ ſunt, non extendendæ.

4 Verum, vt rectè Suar. *diſput. 22. ſect. 3. num 6.* notauit diſſenſio inter has ſententias potius de nomine, quàm de re eſſe videtur, ſi effectibus huius confiſcationis conſentiamus. Certum enim eſt à die commiſſi criminis ita bona delinquentis eſſe obligata fiſco, vt poſſit fiſcus ſecuta ſententia illa bona recuperare, à quocunque poſſeſſore inuenerit. Ergo ſignum eſt delinquentem amiſiſſe ius quod habeat transferendi plenè ſua bona in quemcunque poſſeſſorem, & aliquod ius fiſco eſſe tranſlatum. Econtra verò delinquens ante ſententiam retinere illa bona poteſt, illiſque frui, & vti vt dicemus. Ergo non amiſit omne dominium, ſeu ius vtendi quod antea habebat. Quocirca dici poteſt cum eodem Suar. dominium directum tranſlatum eſſe in fiſcum à die commiſſi delicti, remanere autem apud delinquentem dominium vtile. Qua diſtinctione conciliantur ſupradictæ ſententiæ, neque aduerſus eam procedunt rationes allegatæ. Nam priorem partem. Probant argumenta primæ ſententiæ. Prima enim ſolum probat in crimine læſæ maieſtatis priuatum eſſe delinquentem alienare perfectè, & irreuocabiliter. Secunda probat bona illa eſſe fiſco addicta, id eſt, obligata, quod compati poteſt cum dominio vtili poſſidentis. Tertia vendicationem competere fiſco non ante ſententiam, ſed lata ſententia, in quo caſu iam eſt perfectè dominus. Quarta conuincit rem eſſe obligatam fiſco, & in ea habere dominium directum, vt poſſit lata ſententia à die commiſſi, criminis rem cum fructibus vindicare. Quinta probat Pontificem prohibuiſſe Principibus ſæcularibus occupare ante ſententiam bona delinquentis, quia ante latam ſententiam iudicis Eccleſiaſtici executio, & occupatio bonorum fieri non debet. Alias confiſcationis iudices eſſent Principes ſæculares, non autem probat delinquentem habere, vel non habere dominium, quia ab hac quæſtione voluit Pontifex abſtinere. Argumenta autem ſecundæ probant ſecundam partem noſtræ concluſionis, probant enim delinquentem non habere liberam, & abſolutam bonorum ſuorum adminiſtrationem, cum non poſſit irreuocabiliter rem alienare; habet tamen aliquam adminiſtrationem, eſſi obligatam fiſco.

## Pvnctvm XVIII.

An confiſcatio obliget delinquentem, cui bona ſunt ipſo iure confiſcata: ea fiſco tradere ante ſententiam.

1 *Affirmant aliqui.*
2 *Probabilius eſt oppoſitum.*
3 *Limitant aliqui, cùm delictum occultum eſt, ſed non approbatur limitatio.*
4 *Sed ad minus requiritur ſententia declaratoria criminis.*
5 *Illa poſita non poteſt delinquens bona occultare.*
6 *Non tamen tenetur ea fiſco offerre ſecundùm communem ſententiam, quæ tamen difficultatem habet.*
7 *Quid ſi reus malitioſè impediat ſententiam declaratoriam videtur obligatus.*
8 *Probabilius eſt oppoſitum.*
9 *Quid dicendum de procuratore, iudice, aliiſque miniſtris iuſtitiæ, an ſint obligati ſatisfacere fiſco, cum malitioſè confiſcationem omittunt.*

1 Plures ex Doctoribus, qui concedunt delinquentem abſolutè priuatum eſſe dominio ſuorum bonorum à die commiſſi delicti, affirmant obligatum eſſe delinquentem ea fiſco tradere, eo ipſo quò delictum committit, quia aliàs poſſiderent, & retinerent bona contra voluntatem fiſci, qui eſt dominus, quod eſt illicitum: ſic poſt alios antiquiores quos allegat, tradit Alphonſ. Caſtro *lib. 2. de lege pœnali c. 10. & 11. & lib. 2. de iuſta hæretic. punit. c. 5. & 6.* Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 2. num. 5. fine.* Tiraquell. pluribus relatis l. *ſi vnquam verbo reuertatur, num. 368.*

2 Verum dicendum eſt cum probabiliori, communiorique ſententia, hanc obligationem non eſſe delinquenti imponendam. Primò, quia licèt Princeps in vno, vel alio caſu poſſit obligare delinquentem, vt in ſeipſum pœnam grauem, & acerbam exequatur: at obligare per legem ad eius executionem extra poteſtatem legiſlatoris eſt; quia bono communi non expedit talis obligatio cùm ſit humanæ infirmitati contraria, & multis tranſgreſſionibus expoſita. At ſi delinquens commiſſo delicto obligaretur bona fiſco tradere obligaretur grauem in ſe pœnam exequi. Ergo non eſt dicendum hanc poſſe per legem obligationem imponi. Secundò leges imponentes hanc confiſcationis pœnam, non priuant delinquentem expreſſè poſſeſſione ſuorum bonorum. Ergo non tenetur delinquens ſe poſſeſſione priuare quia poſſeſſione nunquam quis cenſetur priuatus, niſi expreſsè dicatur, etiamſi dominio priuatus ſit, vt bene tradit Anton. Gomez *tom 3. variarum, cap. 2. de delictis, num. 3.* Didac. Cantera *in quæſt. crim. rubr. de hæretic. cap. 1. num. 16.* Farinacius alios referens, *q. 25. num. 15. & de hæreſi, quæſt. 190. num. 85.* ad textum *in l. cùm hæredes, ff. de acquirend. poſſeſſ.* Ex qua ratione fit ſatis fundamento contrario, & ita hanc ſententiam defendunt plures referentes Nauarr. *ſum. c. 23. n. 66.* Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 6. §. 8. num.* 10. Simancas *de catholic. inſtitut. tit. 9. à num* 161. *vſque ad* 252. Anton. Gomez ſibi contrarius *lib. 3. variarum, cap. vlt. num. 3.* Pegna *director. inquiſit. 3. part. comment.* 158. Vaſquez *1. 2. diſput. 170. toto cap. 3.* Azor *tom. 1 lib. 5. cap. 7. quæſt. 1. & 3 & lib. 8. cap. 12. quæſt. 3.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 7.* Suarez *de fide, diſput. 22. ſect. 3. n. 3.* Farinacius *de hæreſi, quæſt. 190. num 23.*

3 Limitant autem aliqui concluſionem, vt intelligatur, cùm delictum occultum eſt, tunc enim affirmant non teneri delinquentem ſe bonis ſpoliare ne, inquam eſſet occaſio ſe prodendi ſecus ſi notorium ſit, quia tunc ceſſat ratio ob quam ſententia requiritur, quæ eſt, vt delicto conſtet, & nulla detur occaſio vexandi innocentem ſic Caſtro *lib. 2. de lege pœnali, c. 10 in ſuo principali argumento pro ſua opinione.* Ludouicus Gomez *cap. 1. num. 7. de reſcriptis* Gregorius Lopez *l. 4. verbo el ſenorio, tit. 3. part. 7.* Farinacius *de crimine læſæ maieſtatis, quæſt. 116. num. 18. &* 19. & alij relati à Sanchez *n. 14.* At cum eodem Sanchez *n. 15.* nullatenus hæc limitatio eſt admittenda, ſicut neque illam admittit Vaſquez *ſuprà num* 14. Simancas *n. 165.* Suarez *n. 7* Farinacius *num. 23.* & alij apud ipſos. Quia lex confiſcans bona æquè de delictis publicis, ac occultis loquitur, neque vllam diſtinctionem facit. Ergo ſi efficaciam non habet aduersùs delinquentem ſecretò, vt illum obliget ſe bonis ſpoliare: neque etiam habebit efficaciam aduersùs delinquentem publicè. Adde ſententiam non requiri, vt populo de delicto conſtet, quia populus non obligatur hæretici bona fiſco deferre, neque etiam requiritur, vt ipſi delinquenti conſtet de ſuo delicto; cùm ſatis ſua conſcientia, quæ falli non poteſt, ei reddat clariſſimum. Requiritur ergo ſententia, vt pœna impoſita per legem applicetur, & quaſi executioni mandetur, audito delinquente, & eius defenſionibus examinatis. Quare etiamſi crimen in iudicio confeſſus fuerit delinquens, adhuc non eſt obligatus ſe bonis ſpoliare, neque fiſcus poteſt ab illo ea eripere, quia illa confeſſio ſolum facit eſſe notorium delictum, non reum damnatum, & pœnam applicatam: quod non leuiter indicat *l. vlt. C. ad legem Iuliam maleſt.* ibi, *vt conuicto reo memoria eius damnetur, & eius bona ſucceſſoribus eripiantur.* Requiritur ergo eſſe reũ conuictum, & damnatum vt eripi bona poſſint, & *in c. cùm ſecundum leges de hæreticis, in 6.* cauetur non poſſe ante ſententiam ſuper crimine occupari bona delinquentis: & ita tradit Sanchez *illo c. 22. n. 16.* Fachin. *l. 4. controuerſ. c. 35. fine.* Hæc autem ſententia in delictis, quæ confiſcationem & pœnam trahunt ipſo iure, ſufficit, ſi ſit declaratoria delicti, quia eo ipſo eſt ſimul condemnatoria pœnæ delicto annexæ, vt rectè expendit Sanchez *lib. 2. c. 22. n. 27.* Vaſq. *1. 2. diſp. 170. c. 4. n. 14.* Simancas *de catholic. inſtit. tit. 9. n. 164.* Quod ſi in aliqua lege dicatur non opus eſſe ſententia declaratoria, vt quis bona ſua amittat, ſed eo ipſo quo delinquit, abſque alia declaratione cenſeatur amiſiſſe, vt dicitur in crimine ſodomitico in hoc Caſtellæ regno, *l. 1. tit. 21. lib. 8. recop.* adhuc cenſeo probabilius ſententiam declaratoriam crimini requiri ob rationes in principio factas, quia aliàs eſſet obligatio nimis acerba, & rigoroſa, & regularites vltra humanas vires, & bono communi non expediens. Quare intel-

ligenda eſt lex talis de ſententia declaratoria pœna ita vt abſque hac, ſententia cenſeatur pœna incurſa, non tamen abſque aliqua ſententia criminis declaratoria, ſic Vaſq. *diſp.*170. *à num.*21.24. *&* 25. Anton.Gom.3.*var.c.vlt.n.*3. Matien.*l.*5.*recop.tit.*11.*leg* 5 *gloſſ.*1.*n* 4.ibi Azeued. *num.*1. Sanch. pluribus exornans, *lib.*2. *cap.* 22. *num.*20. Neque obſtat, ſi dicas, eo ipſo, quo aliqua pœna imponitur ipſo iure delicto, ſufficit vt incurratur ſententia declaratoria criminis, neque neceſſaria eſt ſententia expreſsè ad pœnam condemnans. Ergo ſi lex excludit declarationem, videtur hanc declarationem criminis excluſiſſe, non pœnæ declarationem, quæ per ſe, vtpote non neceſſaria, excluſa eſt. Non, inquam, obſtat, quia non eſt omnino certum non eſſe neceſſariam ſententiam declaratoriam pœnæ, ſimul cum ſententia declarante delictum, iuxta *l. Præſes. C.de ſentent. & interlocut.* vbi definitiua ſententia, quæ abſolutionem, vel condemnationem non continet, pro iuſta non habetur. Deinde conceſſo non eſſe neceſſariam ſententiam expreſsè declarantem pœnam, vt incurratur, adhuc lex poteſt illam excludere ad maiorem claritatem, & firmitatem, quod non eſt alienum ab ſtylo legum, vt tradit Couar. *lib.* 2. *var.c.*5.*n.*9.

4 Hinc fit ante hanc ſententiam declaratoriam criminis neque teneri delinquentem etiam publicè bona offerre fiſco, neque fiſcum poſſe ea bona occupare, quia non poteſt occupare bona, dum delinquens ea iure poſſidet *cap.in litteris, de reſtit ſpoliat.* dum non accedit hæc ſententia; iure poſſidet delinquens. Ergo: ſic docet Simanc. *de catholic.inſtitut.tit.*9.*à n.*175. Mol. *tom.*1.*diſp.*95.*in ſolut.ad* 3. Vaſq. *de leg diſp.*170. *c.*4.*n.*15. Sanch. *cap.*22.*num.*18. Suar. *diſp.*22.*de fide, ſect.*2. *n.*6.*circa finem*; cum hoc tamen ſtat, vt fiſcus ante ſententiam bona tradat alicui cuſtodienda, ne auferantur; hoc enim & fiſco, & delinquenti vtile eſt, & notat Suar. ibi.

Difficultas ergo eſt, an accedente hac ſententia declaratoria criminis teneatur delinquens bona fiſco offerre?

5 Qua in re ferè omnes conueniunt non poſſe tunc delinquentem executioni ſententiæ reſiſtere, quia eſſet reſiſtere executioni iuſtæ, & debitæ poſt ſententiam. Vnde non poterit bona ex propoſito occultare, & alij obſeruanda tradere, ne fiſcus illa occupare poſſit, quia hæc eſt poſitiua reſiſtentia. ſic Bannes 2.2.*quæſt.*62.*art.*3.*dub.*2. Aragon.ibi, *col.*2. Sanchez *lib.*2. *cap.*22.*num.*11. Bonacina *diſp.*3.*de contract.quæſt.*8. *punct.vlt.* §.3.*num.*5. Secundo, ſi edictis, vel alio modo è iudice rogetur de bonis, quæ habet, & fiſco iam applicata ſunt, debet manifeſtare. Quod ſi ab hac manifeſtatione abſtineat, executioni ſententiæ poſitiuè reſiſtit, & contra iuſtitiam aduersùs fiſcum peccat, & reſtituere obligatur. Quia fiſcus ratione dominij acquiſiti in delinquentis bona ius habet obligandi delinquentem, vt veritatem interrogatus manifeſtet: ſic Bannes, Aragon. Bonac. Sanch. *ſup.* & Azor. *tom.*1. *lib.*5. *c.*8.*q.*4 *& tom.*3.*lib.*4. *c.*16.*q.*9. Quod dico de delinquente, idem dicendum eſt de illius hærede, & poſſeſſore, apud quos talia bona delinquentis condemnati exiſtunt. ſic Azor. illo *c.*8.*q.*4. Sanch. *n.*12. *&* 13. quia ſemper bona tranſeunt cum illo onere, & obligatione ad fiſcum.

6 Verùm ſi delinquens condemnatus (& à fortiori eius ſucceſſor) bona occupanda à fiſco non occultet interrogatus, neque reſiſtat, ſi auferantur, ſed potius paratus ſit ea petita offerre, communis ſententia tenet ſatisfacere obligationi; neque debere ea fiſco offerre, quia ſententia non obligat delinquentem, vt ea bona fiſco tradat, ſed ius tribuit fiſco ea capiendi, quia eſſet duriſſima obligatio delinquentem executorem ſuæ pœnæ conſtituere. ſic Couar. 4.*decret* 2.*p.cap.*6.§.8.*n.*10.*corol.*2. Simanc. *tit.*9.*num.*184. Azor. *tom.*1.*lib* 5.*cap.*8.*quæſt.*4. Mol. *tom.*1.*diſp.*66.*verſ.addit. & diſp.*95. *verſ.ad* 2. Sanch. *illo cap.*22.*n.*8. Bonac. *diſp.*3.*q.*8 *p.vlt.*§.*n.*5. Suar. *de fide, diſp.*22. *ſect.*2.*fine*. Farinac *quæſt.*19.*num.*23. & alij apud ipſos. Limitant autem Couarr. Simanc. Mol. Sanch. & alij, niſi iudex expreſsè ad ſolutionem condemnaret, quod in confiſcatione omnium bonorum, vel partis illorum nunquam fit. Cæterùm hæc communis reſolutio mihi difficultatem ingerit. Nam facta condemnatione iam delinquens nullum ius habet in illis bonis confiſcatis, ſed totum ius tranſlatum eſt ad fiſcum. Quapropter fiſcus ea ſibi vt propria occupat. Ergo quamvis fiſcus non petat, non poterit delinquens ea retinere, & multo minus alienare, aut in proprios vſus conſumere, quia hæc eſt propria actio dominij, & poſſeſſionis, à qua iam per ſententiam ſpoliatus eſt: ſic docuit Cordub. *in ſuis quæſt.lib.*1.*q.*36. *notab.*2. & fauet Vaſq. *de legib.diſput.*172.*cap.*2 *num.*11. Neque obinde fit obligari delinquentem ad rem nimis arduam, & difficilem; tum quia declarato delicto, & lata ſententia non eſt nimis acerbum deferre delinquentem ſua bona fiſco. Tum quia non eſt neceſſarium, vt deferat, ſufficit, ſi manifeſtet bona, quæ habet, vt poſſit fiſcus ea occupare. Quòd ſi facta manifeſtatione fiſcus negligens fuerit in illorum bonorum occupatione; iam tunc cenſebitur ex voluntate fiſci delinquens poſſidere: quæ voluntas ante manifeſtationem præſumi non poteſt.

7 Sed quid dicendum, ſi reus interrogatus de delicto, quod reuera commiſit, negat contra iuris ordinem veritatem, aut falſis teſtibus innocentiam probat, aut futili appellatione iudicium ſubterfugit; & obinde neque damnatur, neque fiſcus eius bona occupat, an teneatur fiſco reſtituere emolumentum, quod poſita ſententia percepturus erat? Ratio dubitandi eſt, quia licet fiſcus non habeat ius occupandi delinquentis bona niſi poſita ſententia declaratoria criminis: at videtur habere ius, ne hæc occupatio mendaciis impediatur, ſicuti nullus habet ius, vt tu ei legatum aliquod gratioſum in teſtamento relinquas, eíve donationem facias, beneficium conferas: at habet ius, ne ab aliquo vi, fraude, aut fallacia impediaris id facere, quòd ſi aliquis te impedit, ipſe tenetur emolumentum, quod inde ſperabas, reſtituere. Et confirmo, ſi quærentem beneficium, quod conſequi poterat ſolicitudine ſua, diuertas ab illius conſecutione mendacio, nemini eſt dubium te eſſe obligatum reſtituere emolumentum obuenturum. At falſis teſtibus & mendacio diuertis fiſcum quærentem conſequi tua bona, ne conſequatur. Ergo teneris reparare: & ita docet Caſtro *de lege pœnali lib.*2. *c.*12.§.*ex his*, Molin. *tom.*1.*de iuſt.diſp.*95. *verſ.duo ſunt.* Sotus *lib.*1.*de iuſt.q.*6.*a.*6.*ante* 5.*concl.* & eſt ſatis probabilis ſentẽtia.

8 Nihilominus probabilior ſententia, & communior eſt, quæ eximit reum ab hac obligatione, ſic multis relatis docet Sanch. *lib.*10.*de matrim.diſp.*8 *n.*14. *& lib.*2. *in Decal. cap.*22.*num.*22. Vaſq. 1.2.*diſp.*175.*cap.*2.*num.*13. *&* 14. Leſſius *lib.*2.*cap.*31.*dub.*8.*n.*50. *&* 56. Reginald. *lib.*24. *num.*145. Bonac. *diſp.*10. *in* 8. *Decalogi præcepto, q.*3. *p.*2. *n.*23. *& diſput.*3. *de contract.quæſt.*8.*p.vlt* § 3 *ad fin.n* 6. & alij apud ipſos. Moueor, quia fiſcus non habet ius ad obligandum reum, vt veritatem fateatur; ea enim obligatio ſolùm ex iudicio, iuſtitiáque legali prouenit. Ergo cùm veritatem occultat reus, & fallaciis vtitur, non aduersùs fiſcum delinquit, ſed aduerſus iudicium, iuſtitiámque legalem. Ergo ad nullam reſtitutionem, compenſationémque fiſco tenetur. Et confirmo: ſi fiſcus ad pœnam corporalem infligendam reo procederet, ipſéque reus veritatem negaret, non ob inde aduerſus fiſcum, ſed aduersùs iudicium publicum delinqueret. Ergo ſimiliter, cùm ad pœnam pecuniariam proceditur. Et ratio omnium eſt, quia iudicium publicum per ſe inſtitutum eſt ad punienda delicta, & mala præcauenda in republica, non ad ditandos accuſatores. Ergo negatio veritatis, & fallentia facti in iudicio, non aduerſus accuſatores directè procedit, ſed aduerſus ipſum iudicium, ac proinde nulla eſt obligatio compenſandi.

9 Secus verò dicendum eſſet de procuratore fiſci, ſi omitteret delinquentem accuſare, cùm ſe teneri ſentit, ſciens facta accuſatione, & condemnatione ſequuta bona illius delinquentis eſſe fiſcum occupaturum, quia huiuſmodi procurator fiſcalis ea conditione à republica conſtitutus eſt, vt vtilitatem fiſci procuret, delictáque in iudicium deferat, vt punita fiſco emolumentum afferant: quare ſi negligens fuerit, videtur ad reſtitutionem eſſe obligatus. Iudices autem, & alij miniſtri iuſtitiæ, etiamſi negligentes ſint in deferendis in iudicium puniendíſque peccatis, non videntur ad reſtitutionem fiſco obligati eſſe, quia non ad ditandum fiſcum, eiúſve vtilitatem quærendam inſtituti ſunt à republica, ſed ad purgandum illam à vitiis, & in pace conſeruandum. At ſi iam delicta in iudicium eſſent delata, & à fiſcali, vel à quolibet alio, cui pœna eſſet applicanda, peteretur ſententia, ipſéque iudex negligens ſit in illa ferenda, & pœna applicanda, abſque dubio credo obligatum eſſe emolumentum obuenturum compenſare. Quia ex iuſtitia commutatiua obligatus eſt iudex in iudicio reddere petentis ius ſuum: at ius habet petens pœnam, vt ſibi per ſententiam applicetur. Ergo ſi negat, iniuſtitiam aduerſus petentem committit, & non ſolùm aduerſus iudicium publicum: & hæc omnia docet Vaſq. 1.2.*diſp.*175.*cap.*1.*à num.*9.*vſque in finem*

## Pvnctvm XIX.

### An confiſcatio ipſo iure à delicto impoſita impediat, ne delinquens alienare ſua bona poſſit, & faciat, vt fiſcus ea ſic alienata poſſit recuperare.

1 *Probatur delinquentem impeditum eſſe alienare.*
2 *Contrarium eſt probabilius.*
3 *Satisfit fundam. num.*1. *adducto.*
4 *Non ſunt alienationes ita validæ, quin fiſcus eas reuocare poſſit.*
5 *Excipe niſi poſſeſſores præſcripſerint.*
6 *Tempus ad præſcriptionem in crimine hæreſis quadragenarium eſt.*
7 *Limitatur ab aliquibus, niſi fiſco regis ſint applicata, quia tunc quinquennium ſufficere dicunt. Non admittitur limitatio.*
8 *Secundò limitant, vt præſcriptio procedat poſt mortem delinquentis, ſecùs in eius vita. Non videtur approbanda limitatio in rigore.*
9 *Notandæ ſunt aliquot conditiones, quas præſcribentes, habere debet, vt illis faueat præſcriptio.*
10 *In aliis criminibus ab hæreſi non præſcribitur minori tempore, quàm viceſimo.*
11 *Fiſcus non poteſt petere bona à tertio poſſeſſore in ipſius fraudem alienata, niſi infra annum vtilem.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN